

S V P E R
V A R I O I N P O E T I C A G V S T V
C O M M E N T A T I O
Q V A
V I R O
P R A E N O B I L I S S I M O A M P L I S S I M O
P R A E C E L L E N T I S S I M O D O C T I S S I M O
I O H A N N I A N D R E A E
L V T H E R O
A A . M . E T G Y M N A S I I F R I B E R G E N S I S
C O N R E C T O R I L O N G E M E R I T I S S I M O
M V N V S S C H O L A S T I C V M
P E R
Q V I N Q V A G I N T A A N N O S E G R E G I E G E S T V M
E X A N I M O G R A T V L A N T V R

M. CAR. GOTTHELF HENR. BECKER Past. Frankenstein	IO. CHRISTOPH. MOSCH Iur. Cand
IO. DANKEG. SCHNEIDER Past. Oberchoen	CHRISTLIEB IMMANVEL RICHTER S. S. Theol. Stud
M. FRID. GOTTLIEB BIDERMAN Reu. Min. Cand	CHRIST. GOTTLIEB SCHMIDT S. S. Theol. Stud
CHRISTOPH. FRID. FISCHER S. S. Theol. Stud	CHRIST. EHREG. WUNDERLICH S. S. Theol. Stud
M. CHRIST. GOTTHELF MEYER S. S. Theol. Stud	CHRIST. GOTTLIEB WUNDERLICH Iur. Cand

I N T E R P R E T E
I O . G O T T L I E B B I D E R M A N N
M E D . B A C C

A. D. XVI. KAL. SEXTIL. A. AERAE CHRIST. CIOIOCCCLXVII

L I P S I A E
L I T T E R I S B R E I T K O P F I I S

Lit. Lat.
rec. A.
23, 14.

IX 8.

V I R

PRAENOBILISSIME AMPLISSIME

PRAECELLENTISSIME DOCTISSIME

FAVOR OMNI HONORIS CVLTV PROSEQVENDE

Quem festum *TIBI* illucescere iussit diuinum numen
 diem, iunctis bonorum precibus expetitur, com-
 muni exceptum gaudio, unitis celebrandum plausibus, il-
 lum inquam diem, quo suscepti abs *TE* ante hos quinqu-
 ginta annos muneris scholastici memoria renouanda est,
 dubitasne mentes nostras mira perfudisse laetitia? Dubitasne
 nos, *TE* eum laetum attigisse, viridi florentem senectute,
 animi corporisque viribus tam diuturno labore nondum fra-
 ctis et consumtis, gaudere? At nos certe digni non essemus,
 qui de *TUIS* erga nos meritis gloriaremur, nisi laetitiam
 nostram declarare et patefacere anniteremur. Ego vero,
 quem communis eorum, quibus ab ore quondam *TVO* pen-
 dere contigit, pietas gratiae mentis interpretem esse voluit,

quid mihi aut iucundius aut honorificentius potuisset acci-
dere, plane nescio: neque, quantum ex doctrina *TVA* hau-
serim commodi, et quam insigni me semper amore exceperis,
ex quo cum amicissimum cum parente optimo consortium, la-
borum conspiratione enutritum confirmatumque, tum vene-
randum, quod doctores ac discentes intercedit, vinculum
TIBI me cognitum reddidere, digne satis eloqui valeo, ad-
eoque vereor, ne minus disertis laudibus plus *TE* offendam,
quam cohonestem. Nos autem maximas supremo numini
gratias persoluimus, quod huic diei *TE* saluum sospitemque
seruauerit, eique, ut gratia sua *TE* porro ad longissimum,
quem exspectare potest vita humana, terminum tueatur, et
in delictum ac solatium gentis splendidissimae, in eorum, qui
TVA utuntur doctrina, commodum, inque bonorum
omnium gaudium incolumem seruet, supplicamus. Ut au-
tem et nos in posterum fauore *TVO* beniuolentiaque non in-
dignos censeas, omni animi contentione obsecramus ac ro-
gamus.

SVPER



SVPER
VARIO IN POETICA
GVSTV



Haec est artium, quas liberales vocant, indoles, ut non tantum rerum, in quibus versantur, suauitate cultores suos oblectent atque alliciant, sed singulari etiam miraque vi polleant in motibus animi vel excitandis, vel refræandis et iustis limitibus coercendis. Hanc enim laudem quis est qui musicae, poeticae, picturae huicque cognatis artibus derogare conetur? Omnes adeo in hoc consentientes vides, ut, cuiusnam earum primus decernendus sit locus, dubii haesitent. In eo tamen excellentia quaedam poeticae quaerenda videtur, quod reliquae liberalium artium solis animi commotionibus regendis aptae sint, illa vero imperii sui fines latius extendat, et mentibus illustrandis corrigendisque egregie inseruiat, dummodo hanc sibi metam proponat vates, ut non auribus tantum blandiri, nugisque canoris satiare nos intendat, sed tale condendi carminis argumentum eligat, quod animos tangat, et iis verum aequi ac boni amorem, scelerum contra odium auersationemque inspiret. Loquuntur hoc plurima veterum pariter ac recentiorum temporum testimonia: et quamquam in dogmaticis carminibus tantam perspicuitatem, ἀκριβειαν et sermonis simplicitatem desideramus,



mus, quantam ab eiusmodi scriptoribus exigimus ^{a)}): tantum tamen abest, ut vestitus poeticus has doctrinas dedecet, ut ea potius, quae nuda facie nobis displicitura erant, gratiore adiuta ornatu nos capiant,

*Veluti pueris absinthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flauoque liquore,
Ut puerorum aetas improuida ludificetur
Labrorum tenuis; interea perpotet amarum
Absinthii laticem, deceptaque non capiatur,
Sed potius tali ab tactu recreata valescat ^{b)}.*

Quid? quod et sacris vatibus eadem via arrisisse videatur, qua incederent, quod scripta eorum vel plane poetica, vel poeticis ob floridum orientalium dicendi genus longe simillima satis clare probant. His accedit, quod, sicut semper breuius per exempla, quam per regulas, iter est, sic in eo imprimis poematum genere, quod epicum dicunt, excellentiam virtutis scelerumque turpitudinem viuis velut coloribus pingentes poetae faciliori opera feliciorique successu animis nostris potiantur, quam si vel solidissimis argumentis nos in suas partes trahere annisi fuissent. Quodsi vero multos quoque hanc excellentiam carminibus consequutos non fuisse perspiciamus, non tamen ~~id~~ eo poesis accusanda erit: quis enim est, qui ignoret, vel praestantissima doctrinarum scientiarumque genera, si illis vel friuole abutamur, vel inuita, quod aiunt, Minerua ea tractemus, plus inde noxae quam emolumenti esse naeta? Cum autem tanta fit praestantia, qua poesis et musicam et picturam longe antecellat: mirandum omnino est, qui fiat, ut tam vagum sit atque inconstans hominum super ea iudicium. Equidem in eo maiorem poeticae prae musica felicitatem perspicio, quippe quae diuersum mutabilemque hominum gustum saepius luculen-

a) Confer CAR. ANDR. BELII progr. de poesi scientiarum disciplinae accurate tradendae non apta. Lips. 1757. 4.

b) T. LVCRETII CARI de rerum natura L. III. v. II. seqq.



lentiufque illa experta fuerit. Atqui in pictura cognatifque ei artibus nihil rectum, nihil magnificum aut eximium iudicamus, nifi quod veterum exemplis curatiffime respondeat, feu quod idem eft, quod naturam exactiffime referat. Iam autem meum non eft, vt hoc argumentum vltcrius perfequar, quod nuperrime factum effe memini: in eo folum hærebo, vt difquiram, vnde diuerfus adeo mutabilifque noftri æui in poetica gultus pendeat. Qua in re rite exfequenda ad duo præcipue mihi refpiciendum effe arbitror: aliqua enim culpa in poetas ipfos cadit, aliqua in eos, qui fcripta illorum legunt, et quæ bona vel praua in iis fint, diiudicare conantur.

Iam vero animus non eft, liti ifti celeberrimæ me immifcere, in quonam vera poeticae effentia (liceat voce minus compta vt) fit ponenda. Si tamen paucis, quæ fuper hac re fentiamus, proferre concedatur, equidem non folo numero verbifque ad metra adftrictis et coactis eam contineri debere putarem. Quamquam enim metro, ad cantus rationem accommodato, poeticam ortum debere fuum nemo fere dubitat: minus tamen magnifice de ea ftatuere videntur, qui nulla fermonis ordinifque verborum, multo minus fublimate dictionis habita ratione, folum numerum carminis omnem paginam abfoluere exiftimant. Inde duplici errare modo poetas videmus, dum alii numerum folum quaerunt, neque religioni fibi ducunt, omni neglecto elegantia ac venuftatis fenfu verba mire torquere, longamque demum rhythmorum iufto ordine fibi refpondentium feriem emenfi maximi momenti opus fe exegiffe credunt:

Gaudent fcribentes, et fe venerantur —

— — — quicquid fcripfere, beati:

alii autem in contrarium vitium incurrunt, verba obfcura aut minus vfu recepta carminibus immifcent, et probrofum reputant, legibus poeticae obedire; cum tamen, quo maiorem quifque excellentia confequutus eft laudem, eo maiori opera illum regulas ex præceptis veterum haufas, principumque in arte virorum lectione confirmatas
fequi



sequi conspiciamus. Eadem profecto aevi nostri est conditio, quae superiorum: neque quisquam, qui homines omni aetate sibi similes fuisse perpenderit, LVCRETIVM aureo latini sermonis saeculo adeo inculta et aspera carmina composuisse, non solum

propter egestatem linguae ac rerum nouitatem ^{c)}

coactum, sed falso decoris ornatusque iudicio seductum mirabitur ^{d)}. Et quamquam lingua nostra nondum eo est deducta, ut omnes de ea lites compositas nobis gratulari possimus: est tamen ei quaedam tacito omnium consensu probata orationis puritas ac venustas, quam praestantissimi quique nominisque fama celebratissimi viri in soluto aequae sermone ac in carminibus seruant, quorum exempla nos omnino ad sui imitationem incitare possunt ac debent. Neque omittendus hic videtur peruersus iste exteris, ut in moribus, sic et in scriptis, imitandi pruritus, quo nunc fere omnes rapiuntur, inscii, quanti sit, et patrium et peregrinum sermonem, multoque magis diuersam in singulis poeticae rationem exactissime callere, neque tantum in magna verborum vi cognitionem linguae consistere, sed cuique peculiarem esse sibi que propriam indolem; huius aequae notitia ac solerti genii populi, seu modi cogitandi ratiocinandique indagazione opus esse ad intelligenda, hincque multo plus ad imitanda exterorum scripta. Et profecto, imprimis quod poetas spectat, versiones aptas vix vllas, imitationes oppido paucas inuenies, si eas cum spuris et ad rogam amandandis contuleris. Ex abusu autem exterorum quantum detrimenti cum ars loquendi scribendique, tum poetica ceperint, vltiori expli-
catione

c) L. I. v. 139.

d) — *Fuit hoc proprium illis temporibus, ut optime testatur apud Macrobius Furius Albinus, cuius verba haec sunt: Nemo debet antiquiores poetas ea ratione viliores putare, quod eorum versus nobis scabri videntur. Ille enim stilus tum maxime placebat, diuque laborauit aetas sequuta, ut magis huic molliori stilo acquiesceret. Itaque minime defuerunt imperantibus etiam Vespasianis, qui Lucretium pro Virgilio, et Lucilium pro Horatio legerent.* PETR. CRINITVS in T. LVCRETII CARI vita.



catione vix eget, cum veritatem rei omnes, qui immunem a praeiudiciis seruauere mentem, clarissime perspiciant. Quid? quod haud paucos videamus, qui nimis strenui ipsorum nostrorum poetarum imitatores saepius risui magis ac ludibrio se exponant, adeoque miseracionem nostram moueant, quibus pariter ac istis, qui in imitandis magnorum virorum sermone, vultu, gestu, habitu laudem non exiguam ponunt, Horatianum illud acclamandum est:

O imitatores seruum pecus!

Alii autem nouitatis studio capti non ob rerum dicendarum grauitatem, sed ob luxuriantis stimulum ingenii nouas sibi condendi carminis regulas fingunt, vel potius aequam quodlibet audendi facultatem sibi datam esse existimant. Ea quidem praeter alias linguae nostrae felicitas obtigit, vt medium tenens et grauitatem Anglorum, et viuuum leporem Gallorum fati commode assequatur: at cum praestantissimi viri exemplo suo copiose monstraerint, ea omnia, quae exteras linguas seiuncta ornant, in nostri sermonis poemata vnita transferri posse, nulla tamen regulis poeticae vi illata; quid de iis statuendum sit, qui has spernunt, fraenisque remotis soli genio indulgent, aliis diiudicandum relinquimus. Accedit his nimius maiorum contemptus, qui vel ab ignorantia vel arrogancia proficiscitur, et sicut omni scientiae doctrinaeque generi, sic et poeticae non exiguum damnum intulit. Acriter in tales scriptores inuehit P O P E ^e), iisque simile posterorum iudicium praenunciat. Et profecto si fata, quae poeticae vel recentissimis temporibus fuere subeunda, attentius perpendimus, et consideramus, vigesimum quemque fere annum nouam gustus poetici aeram constituisse, hacque durante superiores ludibrio et contemptui expositas esse: certe haud dubium fati nostrorum scriptorum, quamquam fastui mentis humanae infensissimum, praesagium inde colligere licebit. Alii, quum in vno poeticae genere excellant, profecto partam tue-

rentur

e) *We think our fathers fools, so wise we grow;
Our wiser sons, no doubt, will think us so.* ALEX. POPE Essay on Criticism.



rentur laudem, si monitis naturae obsequiosi iustis limitibus se contineri paterentur, neque extra eos diuagantes parem in reliquis artis generibus gloriam anhelarent; quo saepe id efficiunt, ut laude iam acquisita rursus excidant, regibus, ut POPE ^{f)} ait, similes, qui dum nouas perpetuo victoriis victorias addere allaborant, ante partarum iacturam faciunt. Pauci omnino sunt, quibus faulrix natura id largita sit beneficii, ut, velut ingenii aequae vigore ac iudicii acie celebratissimus HOSPITALIVS, et difficillimas analyses computationesque enodare et viuidissimum in vini laudes cantum componere queant: pauci, qui recentissimi cuiusdam ex nostris poetis ad instar eodem vitae stadio, iisdem fortunae conditionibus et iocosa varii generis carmina scribere, et summos tragoediae principes indefesso studio assequi, neglectisque demum horum vestigiis ciuibus ostendere possint, maiorem esse vim sermonis nostri, quam ne dicam exteri, sed nostrum ipsorum plerique cognoscant. Quid? quod et ipsa antiquitas nos edoceat, non in omnibus singulos aequae excellere, VIRGILIUMQUE in Aeneide, HORATIUM in lyrica poesi maiores esse, quam in reliquis eorum scriptis: ut nunc alia, quae adducere possem, exempla silentio praeteream. Alii tandem in eo peccant, quod moniti HORATII ^{g)} de fugienda in scriptis edendis festinatione nimis immemores sint, et ne periturae parcere chartae videantur, quicquid feruor ingenii inspirat, luci publicae exponant: unde fieri solet, ut eos viginti post annis horum poeniteat, quae ante scripserant, et ut sero veritatem effati HORATII ^{h)} cognoscant:

— *Nescit vox missa reuerti.*

Verum paullo plus iusto a proposito tramite aberrare forsan videor. Quorsum ergo haec omnia disputata sunt? quo nimirum appareat, quam facile poetae errare possint, et quanta circumspectione
opus

f) *Like kings we lose the conquest gain'd before,
By vain ambition still to make them more.* Ibid.

g) Art. poer. v. 386 seqq.

h) l. c. v. 390.



opus sit, si aequum de scriptis eorum iudicium ferre velimus. Verum enim vero omnes, qualescunque iam descripsimus, poetae laudatoribus admiratoribusque non destituuntur, vel, ut duriori Bolaeana sententia utamur,

Un sot trouve toujours un plus sot, qui l'admire.

Quilibet lectorum suo in iis diiudicandis genio indulget, aut, ut verba supra laudati P O P E ⁱ⁾ nostra faciamus, par est nostri iudicii atque horologiorum ratio: numquam duo sibi exacte respondent, at unusquisque suo ipsius credit. Praeter haec cupido legendi iudicandique non minus homines torquet, quam pruritus scribendi; et quum ipsi adeo libri sanctiores iniquae stolidae plebis censurae obnoxii sint, quid mirum, si et poetarum scripta idem fatum experiantur? Hinc alios caeco impetu percitos omnia arripere, mirari, laudibus ad sidera tollere videbis, et si de ratione quaesueris, pulchra esse et apollinari laurea digna dicentes audies; in quo pulchritudo ista consistat, nescios. Alii praeiudiciis capti hunc laudant, illum vituperant: alii vero se puero similes esse produnt, qui, fabula narrante, de voce acanthidis et lusciniae decreturus illi primas partes dabat, quod tam eximia colorum varietate eam superbientem conspiciebat. Taceam istos, quibus nihil nisi obscena, et quae castos mores puritatemque mentis offendunt, placent; quos nimirum tantum ab omni vero decori ac venusti sensu remotos arbitror, quantum eos, qui eiusmodi scriptis conficiendis operam nauant suam, a iusto rectoque aberrare quilibet, cui sana mens est, affirmat. Verum mittamus haec omnia; patiamur suo quemque abundare ingenio: non tamen eo processisset studium partium diversumque in poetica iudicium, si ii, qui ius sibi datum arbitrantur de scriptis aliorum statuendi, officii sui partes melius exsequerentur. Verum est, prouinciam critici venerabilem esse summoque honore dignam; et sicut omnis verae eruditionis copia nos emollit potius mitisque reddit, quam effert, sic etiam, quo quisque altius in doctrinae studio

i) *'Tis with our judgment as our watches, none
Go just alike, yet each believes his own, l. c.*



studio progressus sit, eo maiori illum in iudicio super aliorum scriptis ferendo moderatione uti. At plerique nostrorum criticorum, quibus nihil arduum est, partim ipsi non intelligunt, quanti laboris sit, de operibus aliorum recte decernere; licet intelligentissimi veterum aequae ac recentiorum scriptorum regulas stabilierint, quae lex essent ac norma in iudicando: partim animus fastu elatus aut praeiudiciorum caligine obvolutus partiumve studio abreptus eos a veri bonique cognitione arcet: partim, quod in opprobrium humanitatis fateri oportet, mentis prauitas ipsos a laudandis illis, quae laudanda erant, reuocat. Verum in istorum edictis imperita multitudo diuinam plane atque insolitam sapientiam quaerit: quid ergo mirum, si peruersa iudicandi ratio eam irretiat et dirissimis vinculis constrictam teneat?


His perpensis satis constare arbitror, quibusnam causis tantam hominum in diiudicandis poematibus differentiam adscribi oporteat. Neque huic malo, utpote necessario fere dicendo, ullam afferri posse medelam putandum erit, dum sua quemque voluptas trahet, et neque inmodico scribendi desiderio, neque infatiabili censendi reprehendendique cupidini iustos limites figere quisquam poterit. Cum adeo veteres, in quorum hodie exempla nobis intuendum est, simile fatum experiri coacti sint, et Horatii, Virgilii, Ouidii, se Bauis Maeuiisque minores haberi, doluerint: quid nostri aevi vatibus metuendum erit, quod pluribus gaudet subsidiis ad immaturos plurimorum ingeniorum fetus diuulgandos? Praeter haec verum est, illorum gloriam perstitisse, semperque duraturam esse, donec erunt, qui verum litteris pretium statuunt: sed cum in vero poeta duo quaerenda sint, sublimior nempe modus cogitandi et splendor verborum, seu ex mente HORATII^{k)}

— *mens diuiniore atque os*

Magna sonaturum:

num fama veterum perstitura fuisset, nisi eorum sermo populari consuetudine usurpari desisset, valde nobis dubium videtur.

k) Serm. L. I. Sat. III. v. 43 seq.



Lit. Lat. rec. A 23, 14.